

Exercitatio medico-chirurgica de setaceis / [Georg Wolfgang Wedel].

Contributors

Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

Publication/Creation

[Jena] : S. Krebs, 1673.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ek288374>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

AUSPICIO DEI OPTIMI MAXIMI,
 Ex decreto illustris & Gratiostissimæ Fa-
 cultatis Medicæ in florentissimâ Academiâ Salanâ,

EXERCITATIONEM
 MEDICO-CHIRURGICAM

De

SETACEIS,
 PRO LOCO

In prælaudatâ Facultate, majorum
 more, impetrando,

Publico eruditorum Examini submittit

GEORGIUS WOLFGAN-
 GUS WEDELIUS, Medicinæ Do-
 CTOR, & Professor Publicus Ordinarius,

ad diem Martii,

ANNO M. DC. LXXIII.

In Acroaterio Medico,
 horis consuetis.

JENÆ,
 Literis SAMUELIS KREBSII.

SERENISSIMO. CELSISISSIMOQUE.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.

ERNESTO.

DUCI. SAXONIÆ. JULIACI. CLI.
VIÆ. ET. MONTIUM.

LANDGRAVIO. THURINGIÆ. MARCHI-
ONI. MISNIÆ.

PRINCIPALI. DIGNITATE. COMITI. HENNEBERGIÆ.
COMITI. IN. MARCA. ET. RAVENSBURGI.
DOMINO. IN. RAVENSTEIN. &c. &c.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.
UT. ET.

INCLUTÆ. URBI. GOTHANÆ.
PERILLUSTRI. REGIMINI.
NOBILISSIMO. SENATUI.
RELIQUISQUE. AULÆ. ET. URBIS.
COLLEGIIS. SPECTATISSIMIS.

HAS. LABORUM. ACADEMICORUM. PRIMITIAS.
IN. MEMORIAM. COLLATORUM. BENEFICIORUM. PRINCI-
PALIUM. ET. INNUMERABILIUM.

HUMILLIMA. AC. DEVOTISSIMA. ANIMI.
SUBJECTIONE.

HUMILITER. ET. PEROFFICIOSE.

CONSECRAT.

DICAT.

GEORG. WOLFFG. WEDELIUS.
MED. DOCT. ET. PROFESS. PUBL.

CAPUT I.

Procœmium & Definitionem nomi- nalem præmittit.

Leganter *Cous*, quæcunq; non sanant me-
dicamenta, *inquit*, ea ferrum sanat ; quæ ferrum,
non sanat, ea ignis sanat ; quæ ignis non sa-
nat, ea incurabilia putare oportet. *g. aph. 6.*

In medicinâ πολυμηχανία est necessaria, quæ
levia sunt, molliori tractanda brachio, quæ gravia, nec cedere
volunt primâ instantiâ, asperius tractanda. Irrumpente belli tem-
pore hoste varius requiritur apparatus, seu cominus, seu eminus
pugnandum sit. Non persuasionibus exceptionibusve blandis,
non ense res omnis decidi potest, machinis, tormentis & cata-
pultis opus est, quarum vi vis repellenda & arcenda. Sic in medi-
cinâ non semper ex culinâ solum, & diætâ curari possunt morbi,
sed medicamenta requiruntur, quæ alterant, & ad statum natu-
ralem peccantes humores & partes reducunt ; nec medicamen-
tis semper res absolvitur, sed durus nodus durum requirit cu-
neum. Non ubique commendatâ jucunditate res absolvitur,
nec citâ ope æque succurri potest indigentibus, sed, modò tutò
id fiat, cogitur interdum medicus esse gratiôse crudelis, prout id
urgens affectus indicaverit. Quæcunque enim è perniciosa
sunt, ut contra remedium invaluerint, plerumque contrariis
curantur, hoc erit non molli viâ mederi, sed urere & secare, ut illa
Senecæ nostra faciamus. Est, ubi natura ipsa, cuius minister est
medicus, sceptrâ dedat, opem sibi ferre nescia, à solo medico ex-
pectans auxilium, quod in luxationibus fracturisque patet.

Excipiunt se hæc invicem gradibus, medicamenta, seu
pharmacia, ferrum & denique ignis, seu chirurgia & pyrotech-
nia chirurgica, quæ efficacis medicinæ titulum abunde tuetur, li-

cet non semper ad palatum sit ægri. Exemplo sit setaceum, medicamen seu præsidium è chirurgico fonte petitum genero'um & heroicum. Non satis erat in brutis id sæpe utiliter applicasse veterinarios. Receptum est in scholam medicam, & licet delicatis adversari videatur, nihil iominus ubi in usum trahendum est, strenuè se gerit. Dignum idcirkò id judicavimus, quod, pro Loco in Facultate Medicâ adsignato, in proscenium ducamus, & faxit Deus feliciter, publicè ventilemus.

Nomen habet SETACEUM, veteribus & recentioribus celebratum remedium, à setis. Setæ enim è caudâ equinâ petitæ & inter se certâ crassitie artificiosè complicatæ, antiquitus constituebant funiculum, per cutem corporis hujus vel illius partis traduci solitum, id quod hodienum apud veterinarios, non mutatâ materiâ obtinet, qui equis præsertim aliisq; brutis non raro setaceas applicant chordas. Mansit nihilominus in scholis Chirurgicis usitatum nomen, licet in corpore humano consultius visum fuerit, ut setæ omitterentur, & in earum locum cesseret sericum, uti inferius pluribus docebimus.

HOMONYMIAM ut latius explicemus, opus non est, quippe cum in medico versemur foro, facile colligere licet, nos neque setarium vel setacium instrumentum, quod v.g. in cribris Pharmacopæorum minoribus locum habet, nec excutias, aliaque ex setis parata hic intelligere, sed primò, *speciali significatione* vocabulo accepto, ita dicimus funiculum artificiale ex serico paratum, quod, uti jam diximus, in setarum locum usu trito & communi receptum est. Deinde *generalius* pro totâ operatione sumitur, adeoque & ad ipsa instrumenta ad eam necessaria refertur, sic, ut funiculi per cutem traductionem & consequenter ulcus ipsum arte excitatum, quod apertum servat, includat.

Accipitur setaceum collectivè seu generalius sumptum vel *Lætè* vel *strictè*. *Lætè* sumptum denotat traductionem setæ seu funiculi pro excitando ulcusculo in totâ extimâ corporis veste, seu cute, quounque id fiat loco. *Strictè* acceptum restringitur potissimum ad cervicem, ubi applicatum καὶ ἐξοχλεῖ & propriè dicitur setaceum.

Varia apud autores occurrunt setacei SYNONYMA. Usitatoria

tiora sunt simplicia: Seto, vel Seton, Setabulum, Setamen, illaqueatio; periphrastica: fonticulus duplex, cauterium in cervice duplicatum, colli paracentesis, & quæ alia id generis nomina sunt plura.

C A P U T I I.

Definitionem realem exhibet.

PRæmissis his, quæ ad nominis originem & explicationem faciunt, ad realem definitionem progredimur.

Setaceum dupli potest considerari modo, vel ut infieri, vel ut in facto. Illo modo ad vulnera, arte inflita, seu diæresin absolute spectatam refertur, altero ad ulcera. Patet eo ipso, quod ad tertiam chirurgiæ operationum speciem, διαιρεσιν dictam, quæ sectionem & ustionem complectitur, referendum veniat.

Si ergò finem ultimum spectamus, seu cuius gratiâ in usum trahimus setaceum, qui est, ut per ulcusculum materia vitiosa & morbifica seu pro derivatione, seu pro revulsione, seu aliis intentionis gratiâ inveniat exitum, sensimque educatur, hinc definitio talis fieri potest:

S E T A C E U M est ulcusculum duplex in nuchâ per trajectio nem cutis duplicatae, acu antcipiti, manu chirurgi factum, & funiculi sericini ope conservatum, pro evacuandâ materiâ morbificâ serosâ.

Definiendum id esse per ulcus confirming chirurgorum primicerii, *Gavassetus, libro de nat. cauterio inscripto c. 14. Tbom. Fienus l. 1. de cauter. c. 19. Marc. Aurel. Severinus & alii.*

G E N U S seu ratio formalis consistit in λύσῃ τῆς συνεχείας solutione continuitatis, in specie, cum excretione materiæ purulentæ, seu uno verbo, ulcere. Hoc quia latissimè patet, & generale est vocabulum, plurimis aliis conveniens, eidem quodam limitatum est, per modum scilicet, non solum, quod per artificio sam chirurgi operam fiat; sed, quæ differentia quasi specifica est, quod esse suum debeat funiculo, ex serico confecto, & utrinque per cutem trajecto, quo ipso à fonticulis, cauteriis, & vesicatoriis distinguitur. Licet enim genere conveniat cum iisdem modo re-

censitis, & intentione; differunt tamen modo tūm operandi, tūm conservandi & deligandi, quæ cum per se manifesta sint, reliquas cum iisdem similitudines vel disparitates studio prætermittimus.

Definivimus verò setaceum non latiori sed strictiori significatione sumptum, quippe quod in foro chirurgico magis tritum & frequentatum est. Neque tamen differunt multum alio in loco excitata setacea, nisi subje&o, unde si notum est, quid sit setaceum in nuchâ appositum, facile cuvis liquet, quidnam sit in aliis partibus.

Ulcus hoc minutum est, tantum nempe, quantum à setâ seu funiculo extensum, nec excrescit, nec minuitur, sed in eodem statu utrinque conservatur, unde non simplex sed duplex est, cum cutem subeat funiculus ab unâ parte, ab alterâ verò exeat, & ab eâdem tectus utrumque unâ operâ apertum servet.

Subcutaceum, longum & angustum ulcer sub cute factum appellant alii. Id verò arte factum & manu chirurgi diximus, quo ipso innuimus, à nobis non intelligi ulcer ab erosione factum, nec in partibus CARNOSIS, quo modo ad tertium morborum genus pertinet, & præternaturale quid est. Non intentat hoc partis interitum, sed vel ipsam, vel alias à morboâ materia liberat.

C A P U T I I I .

Setacei subiectum ventilat.

SUBJECTUM DENOMINATIONIS, vel locus applicandi Setacei, est nucha seu cervix, ejusdemq; postica regio. Nucha quid propriè significet, memoratu dignum est. Veterum plerique per illam intelligunt spinalem medullam, per spondylos seu vertebras dorsi transeuntem, ut Guido de Caaliaco Tract. 1. doctr. 2. cap. 3. Job. Mich. Savanarola Tr. 6. c. 2. rubr. 1. p. 73. Vid. & Sylvat. in Pandect. Receptiori significatu denotat Cervicem, Germanis den Nacken/ quâ cum voce ferè nuchæ nomen convenit. Vid. plura apud Martin. in Lexic. Philolog.

Cervix variis constat partibus, cutaceis, carnosis, osseis. Ossea non esse subiectum setacei, per se liquet. De carnosis disceptant autores. Musculos setacei subiectum esse affirmat Dure-

tus enarrat. in l. 1. Holler. cap. 19. sed eo nomine recte arguitur à M. A. Severino pyrotechniae chirurgicæ l. 2. part. 1. c. 14. p. 238.

Nos SUBJECTUM PRINCIPALE statuimus **CUTEM** cum panniculo carnosō.

Sed cum setaceum certâ sit circumscriptum peripheriâ, neque plus spatii occupet, quam funiculi quantitas exigit, specialior locus ab autoribus determinatur varius.

Alii enim fossam nominant, circâ commissuram capitis cum spinâ, seu locum inter primam & secundam vertebram. *Alii* inter secundam & tertiam, *alii* denique inter tertiam & quartam, sedem setaceorum collocant.

Nos, cum plerique in hoc consentiant chirurgi, assentimur, posse dictis locis hisce omnibus applicari setaceum, eâ tamen cautelâ, ut an primo, an secundo, an tertio recensitorum loco melius id fieri possit, artifex chirurgus ex cute ægri, cui id applicare est animus, dijudicet. Variat enim hæc crassitie pro diversitate hominum, modò macriorum, modò obesiorum. Ille locus tunc eligendus, quod cutis à subjectis partibus carnosis elevari attractione moderatâ possit, alias quippe incassum laborabit, & brevi funiculus excideat.

Extra hos verò limites non solet adhiberi setaceum.

Variant etiam Autores in modo cutem incidendi. Communis & usitator modus est, ut per transversum vulnus fiat, &, facto hoc, setaceum traducatur.

Alii verò cutem cervicis in longum potius vulnerandam quam transversum judicant, ut *Paræus* l. 9. cap. 24. *Duretus* in annotat. Enarrat. *Holler.* l. c. *Thom. Fienus* l. 3. de cauter. cap. 14. id que ob ductum fibrarum, ut cum rectâ ibi ferantur, evacuatio hinc promptior succedit.

Medium inter hos modum invenit & excogitavit *Matth. Glandorpius Gazophylac. polyplus.* c. 20. p. 137. obliquum nempe, ut v. g. à dextrâ parte inferiori infixâ acus, sinistrâ superiori funiculum educat, adeoque unum foramen in dextro latere sit declivius, in sinistro verò elatus, quem modum præ reliquis magis commendat.

Verùm, quod ad primum attinet, qui per longum & rectum infigit

infigit setaceum, multa is secum trahit incommoda, non solum quod hoc modo cutis aptè attolli, & sub eâ ævæ acus ferri nequit; sed &, licet acu incurvâ incisio fiat, molestissima tamen deligatio dolorum continuos faces accedit, cum funiculi pars altera ad dextram superiori parte, altera ad sinistram inferiori sit collo circumducenda, non sine tensione cutis, & periculo citæ ruptiōnis. Adde, quod hoc pacto superius ulcus sit supervacaneum, cum ad inferius ferantur motu omnium gravium humores, cum tamen eo fine potissimum præ fonticulo eligatur setaceum, ut duplici scaturigine effluant & educantur. Vid. *Aquapendens* part. i. c. 5.

Alter modus per obliquum *Glandorpianus* melior quidem est, suas tamen in deligatione non minus patitur difficultates. Quare communem in modum, familiarem chirurgis plurimis, præ reliquis amplectimur & approbamus, qui & facilem operationem, & deligationem commodissimam conjunctam habent.

SUBJECTUM ADÆQUATUM sunt variæ partes corporis cutaceæ, quæ scilicet apprehendi forcipe vel manu possunt & extendi.

Ita *auricula lobum* transfixit utiliter *Scultetus, armamentar.* *Chirurg. Tab. 34. p. 41.* colli partem anteriorem sub mento pro curandâ guttâ rosaceaâ & aliis faciei vitiis. *Guido Cauliac. Tr. 7. doctr. 1. c. 3. fol. 119.* idem l. c. varia alia nominat loca, circa pectus, pro asthmate; in regione ventriculi, hepatis &c.

In melancholiâ hypochondriacâ setonem supra splenis jecorisve regionem applicandum commendat *Ludov. Mercat.* *L. 1. de morb. intern. c. 17. & l. 2. de morb. mulier. c. 4.* Consentit *Matth. Martin. Tr. de aff. hypochb.* qui in hypochondriaco affectu idem in regione splenis commendat.

In scroto pro hydrope curandâ, & herniâ aquosâ applicat *Guido l. c.* (ubi tamen usitator est acus cannulata recentiorum, autoritate ipsius *Galenii l. 11. M. M. c. 13*) pro lue venereâ curandâ & peste præservandâ *Paul. Zachias de aff. hypochb. l. 1. cap. 19 pag. 281.* sub alis & inguine, *Severinus Pyrotechn. chirurg. l. 2 part. 1. c. 46.* in surâ *Spigelium* ischiadico applicuisse setaceum testatur *Glandorpianus l. c.* qui & plures autores allegat, apud ipsum videndos.

Usitator locus est nucha, minus usitati reliqui.

CAPUT

CAPUT IV.

Indicantia & permittentia setaceum recenset.

Cauteria, Trepanum, Setaceum rarius apud nostrates Germanos admitti solent, ita ut vel nomen indicasse s̄epe moveat horrorem. Optandum tamen esset, ut frequentius solito in usum vocarentur tum reliqua, tum in primis setaceum.

Evacuationes tām pharmaceuticæ quām chirurgicæ aliæ sunt communes, & generales, aliæ privatæ & propriæ. Illæ has ordine præcedunt; hæ sequuntur. Si ergò per illas, v. g. per venæ sectionem, per aūa vel ἡανάθρον, aliaque id generis nondum sufficientes laboranti membro latæ sunt suppetiæ, ut fluxioni finis imponatur, adeoque particulari adhuc opus sit revulsione, aversione, interceptione, vel derivatione, locum habent inter alia setacea.

Ubi ergò indicatio est derivandi, revellendi, attrahendi, intercipiendi & evacuandi, conveniunt, ceu indicata generosa, vesicatorium, cauterium, aut fonticulus, & setaceum. Singula hæc eidem debentur indicationi, sed ratione diverlā. Vesicatorium breviori absolvitur temporis spatio, & medicamentum est divinum in quamplurimis morbis capitis, quatenus plura alia membra, aurem, oculos &c. sub se continet.

Fonticulus illic loci positus usu suo non caret, sed effectum tardiorem sortitur, præter alia quædam incommoda. Hoc verò non minorem sed majorem longè vim habet setaceum, teste præter experientiam *Sennerto l. i. med. pract. part. i. cap. 5. p. 45.* primum, cum per foramina duo plus evacuetur, quām per unum, unde cum duplex quasi sit fonticulus setaceum, geminum quoque præstat fructum, majorem quippe, quām qui ex duabus fontanellis redundare posset; Deinde, quòd neque ita commodè pila eò loci in fonticulo gestari possit. Adde, quod iteratâ dextrorsum & sinistrorsum funiculi ductione, allicantur humo-

res, quod in fonticulo fieri nequit. Et licet fatendum sit, paulò
majore cum molestiâ conjunctam esse setacei quam fonticuli ap-
plicationem; utilitas tamen major hanc molestiam abunde
compensat, fitque aversio & major & præsentior.

Aversio hæc ad contraria fit secundum omnes dimensio-
nes. Secundum longitudinem quidem supra infraque; secun-
dum latitudinem verò huc illuc, hoc est, ad dextram & sinistram;
secundum profunditatem verò ad anteriora & posteriora, ut ele-
gantissimum locum Galeni 5. aphorism. comment. 68. nostrum fa-
ciamus. Ultimus modus locum habet in setaceo, fit enim aver-
sio ad posteriora.

Ut luce evidentiori coruscet setaceorum indicatio & do-
ctrina, eleganter ex medicinâ speciali commentatoriâ huc referri
potest motus causæ morbificæ localis, & fluxionis ratio. Sive
enim materia morbifica, præsertim serosa, (hæc enim præ reliquis
indicat setaceum) collecta sit in capite, oculis, naribus, aliisque
partibus vicinis, per οὐναθεῖσμὸν, congestionem, propter par-
tis essentialis debilitatem; sive à toto corpore per φλυάλισμὸν,
fluxionem, eò promota, medicus, naturæ auxiliares latus copias,
modò retrahere hunc hostem & revellere, modò intercipere ipsius
impetum, modò aliò derivare belliflammam satagit, & intendit.

Maximè verò locum h̄ic invenit fluxio. Cumque triplex
potissimum cuiuslibet ex confluentia morbi sit causa, multitudo
humoris ad fluendum apti nati, fortitudo membra à se repellentis, &
recipientis infirmitas. Vid. Macrob. lib. 7. Saturnal. c. 4. p. 517. pru-
denti consilio à nobiliori parte, fluxionem ejusmodi recipiente,
ob debilitatem morbosam vel naturalem, avocant setacea ad
aliam, quam arte debilitant, ut recipiendo humor fiat idonea, &
contra ea pars prius affecta, ab obfidente liberata humorum co-
piâ, novum robur acquirat.

Locum ergò h̄ic habet ωτις pulsio, quâ superflua tum quan-
titate, tum qualitate, à robore partis in imbecilliores aliam ab-
legantur. In parte verò recipiente accedit ἐλξις attractio, à ca-
lore & dolore promota. Accedit, quod modi illi quatuor Gale-
nici aptitudinis in parte debili recipiendi fluxionem in setaceo
quoque applicari possunt. Adest enim 1. imbecillitas natumlis,
quia

quia ut in genere cutis οὐλόγως ἐνδέχεται τὰ τὸ σώματος ὄλγα
περιπλάναται, bona motione suscipit corporis totius excrements; ita &
in specie, ea quae in collo est, capitis. Conciliatur dein parti huic
imbecillitas acquisita per manum & artem. 2. non raritas solūm
adest, sed apertio ipsa, ut quasi è fonte solenni viâ exire possint at-
tracta excrements. 3. dolor & calor ad attrahendum magis dispo-
nunt, ut & ipsa tractio funiculi quotidiana. Ipsum denique
membrum, cervix, 4. est αὐτίνη, magis quieti, quam motui deditum.
Pluribus hæc diduci possent, si commodus hinc esset locus. Vi-
deri potest instar omnium Methodus med. comment. spec. Magnif.
Dn. D. Rolfincii l. 2. f. 3. c. 27. & 28.

Nos ex dictis solūm repetimus, indicari setaceum à farra-
gine humorum seroforum caput aliasque vicinas partes infestan-
tium, nec medicamentis, aliisque universalibus vel topicis præ-
sidiis mobilium. Cumque non tam illa revulsio commendetur
ex principiis Galenicis, quæ semel & confertim, quam quæ sæpius
& parcius evacuat, egregiè id præstat setaceum. Quin & illas
conditiones revulsionis explet, ut fiat procul ab affecto loco motus
fluentis humoris, & in contrariam partem, propositæ à Galeno l. 4.
meth. med. c. 6. l. 5. meth. med. c. 3. & l. 13. c. 11.

Fiat verò id in tempore, quod rerum omnium est primum,
antequam morbus habituatus curationem renuat, & viribus
constantibus.

Competit Setaceum omnibus HABITIBUS. Novimus Se-
renissimo infanti duorum annorum utiliter applicatum seta-
ceum. Nos ipsi in puellâ quinque annorum, ophthalmiam diu-
turnam, cum oculi diminutione & pupillæ maculis laborante,
summo cum fructu id applicavimus.

Indicat sæpe natura setaceum in pustulis eminentioribus
digitorum, pure aquoso refertis, ubi filum sericeum vulgo non
inutiliter trajicitur. Sic & in hydropicis intumescente umbilico
apertione & pro re natâ setaceum indicat eadem.

Ratione HABITÙS CORPÓRIS, minus convenit obesis,
magis gracilibus setaceum.

C A P U T V.

Instrumenta ad setaceum parandum necessaria delineat.

Variat instrumentorum numerus & qualitas, prout ipsa applicatio seu operatio est vel *majoris*, vel *minoris apparatus*: prout item *cum igne*, vel *sine igne*, solâ sectione, perficitur.

Nos pro *majoris apparatus* operatione tria necessaria requirimus instrumenta: duo ferrea, *forcipem* & *acum*; sericeum unum, *funiculum* seu *chordam*. Pro *minoris apparatus* operationis executione, duo solum requiruntur, *acus* & *funiculus*, cum *forcipis* loco digitorum opem substituant hujus modi autores.

F O R C E P S, aliis *tenacula*, perforata est utrinque, hâc cutis elevatur & apprehenditur, ita ut per foramina ejus acus commode trajici possit. Margines hujus aliquantulum requiruntur extantes, obtusi tamen, ut comprehendant solum cutem fortiter, non lädant.

A C U S alterum est instrumentum, seu cultellus lanceolatus, in posticâ parte perforatus, pro recipiendo filo, anticâ parte acutus & scindens, forinâ, ut *nonnulli* eligunt, tricuspidali, anceps. Magnitudo sit paulò minor forcipis foraminibus, ut per ea utraque facile possit adigi. Materia est ferrum, seu chalybs optimus.

Olim duo hujus loco in usu erant instrumenta, & duplex eligebatur acus, alia ad pertunderendam cutem, alia ad trajicendum funiculum. Sed consultius est, minusque molestum, unâ, quod ajunt, fideliâ duos dealbare parietes, adeoque unâ acu & scindente & filum recipiente compendiosè absolvere negotium. Unde nec opus est, aliam p̄æ ferro eligere materiali, uti pristino tempore acus ex ære elaborata, (quippe quo inficta vulnera solent haberi pro tutioribus,) quibusdam in usu erat; ferrum enim magis scindit.

F I L U M, seu *funiculus*, *chorda*, *laqueus*, *fibula* etiam *nonnullis* audiens, ex serico artificiose contexto & complicato constat. Crassities ejus proportione respondet acus extremitati, ut commodè per eam trajici possit,

alii

Alii eligunt filum lineum præ sericeo convenientis crastitiei, idque cerâ traducunt, sed dolorificum id est nimis, adeoque molestiam patienti creat majorem; & inflammationem facile concitat. Quò mollius enim cutem afficit & tangit funiculus, eò facilius gestatur, & contra; quæ causa quoque est, cur funiculus ex caudæ equinæ, vel alterius animalis pilosioris setis confectus, antiquitus, ut supra innuimus, usitatus, in usum trahi desierit.

Nonnulli ex cottone, vel lanâ communi contorto utuntur funiculo; omnibus tamen his præstat sericeum setaceum.

Quoad COLOREM, *alii* sericum rubrum, *alii* album præferunt. *Nos* usi sumus communiter albido, partim, ut eò melius hæmorrhagiam vel minimam dignoscere possimus; partim, si audiendus est *Glandorpius l. c.* quod chermesinum recipiat inter alia pro tinturâ arsenicum, unde inflammationem non raro obortam observavit *idem*. Periculum tamen id tantum non esse credimus, quin & rubrum quandoque si placeat, recipi possit.

LONGITUDO hujus funiculi tanta sit, ut commodè circumPLICARI collo queat, cujus intercapedo cum pro diversitate ætatum, & habitus corporis variet, solemus in adultis ut plurimum ad ulnas duas circiter longum recipere, paulò minorem in infantibus. Nec brevior multò sit, nec longior; ille enim difficilius gestatur & dolorem facile excitat, hic circumgyratione productiore in collo molestus est.

Sunt, qui loco funiculi hujus annulum aureum, vel plumbum eligunt. Divinitus, *inquit Job. Paul. Pernumia l. 4. de curat. arte p.m. 52.* apud quosdam praticos fili loco, ablatâ acu, annulus aureus æqualiter apertus immittitur: postea ne excidat, ejus extrema adducuntur, & identidem quotidiè dimovetur, ut dolore & attritu materia trahatur, & vacuetur multa, manè & vesperi quotidiè tergendo. Confer ea, quæ ex *Gattinaria, Paschadio & Columellâ* hanc in rem citat *Severinus l. 2. pyrotechn. part. 1. cap. 14. p. 259.*

In setaceo umbilici vel scroti funiculum ex lanâ potius,

quād denso serico confici debere, ad aquā magis imbīben-
dam & transmittendam, monet *Fienus* *libr. 3. de cauter. cap. 14.*

Sin cum igne perficitur operatio, quarto opus est instru-
mento, frameā scilicet, seu stylo acuto, quem ex ferro chaly-
beato parari jubet *Gavassetus l. de naturā cauterior. c. 14.* Hoc
candefacto cutis adstricta pertunditur, ut per eam latus viam a-
periat subsequenti acui & funiculo. Instrumenta in icode ex-
hibent *Paræus*, *Hildanus*, *Glandorpius*, *Scultetus* & alii.

CAPUT VI.

Operationem ipsam proponit.

RE jam benē deliberatā, & an setaceum applicandum
fit, decisā, dividimus administrationem hanc in antece-
dentia eam, operationem ipsam, & quæ post illam sunt
observanda.

Sint itaque ad manū instrumenta modò recensita, prín-
cipalia: forceps, acus, & funiculus; minus principalia: forfex,
spongia, linea tum *integra*, tum *concerpta*. Funiculus ut eō me-
lius transeat, & suppurationem juvet, minusque doloris excitet,
imbuatur prius *oleo rosaceo*, vel *hypericonis*. Aliis albumen ovi
placet cum oleo rosarum conquaſſatum.

Paratum quoque sit emplaſtrum & plagulæ, ut ad deligati-
onem nihil amplius restet.

Præparato itaque corpore, *ager* confirmato animo in
sellam vel ſcamnum ſedeat, loco, qui lucem necessariam admit-
tat, caput firmum teneat, erectā cervice & ad posteriora paulu-
lum reclinatā, ne prono positu cutis firmius adstricta, opera-
tionem impedit.

Chirurgus, loco probè prius signato & observato, manu
ſinistrā cutem cervicis posteriorem elevet, forcipe apprehe-
dat, & ut ſensatio fiat minor, validè eam conſringat.

Quidam tempore brumali nivem aliquanto tempore parti
applicant, ut dolor minus ſentiatur, id quod tamen omitti
potest.

Hinc dextrā manu, inserto prius acui funiculo, superiori
parte

parte præter imbutum oleum, unguento digestivo illito; acum
promptè & quā fieri potest agilitate, pér cutem, forcipe perfora-
tā apprehensam, transadigat, & funiculi acui inserti extremita-
tem alteram simul traducat.

Vulnere hoc utrinque facto, spongiā sanguinem effluen-
tem absterget, unguentum digestivum linteo concerpto exce-
ptum ejusdem foraminibus applicet, emplastrum defensivum
superimponat, & chordam collo blandè circumducat.

Intentio est operatione peractâ, primò, dolorem sedare, de-
inde, ut ulcusculum fiat, ad suppurationem deducere, & demum
partes defendere, ne inflammentur.

Solent communiter pro primâ & tertîâ intentione, præ-
sertim si empyreuma ab igne actuali accedat, uti albumine ovi,
probè conquassato, quod linteo dupli vel solum, vel cum aquâ
rosarum mixtum applicant *Guido, l. c. Hildanus cent. 1. obs. 41.*
Barbette & alii.

Nos, uti jam præmisimus, filum ipsum imbuiimus unguen-
to digestivo, & oleo quodam traumatico, ipsumque unguen-
tum vulneri utrinque applicamus. Emplastrum verò defensi-
vum apponendum censemus, tum quia deligatio hoc pacto fit
melior, tum quia sic unâ & dolori occurritur, & pars robatur,
& defenditur, ipsaque hæmorrhagia certius præcavetur. Sic uno
præsidio pluribus satisfit indicationibus.

Suppuratione post aliquot dies apparente, & per dicta jam
digestiva convenientia promotâ, indies funiculus modò à dex-
trâ ad sinistram, modò vice versâ à sinistrâ ad dextram leniter
trahendus, cum ut præcaveatur vulneris coalitus, tum, ut sanies
sensim sensimque cum funiculo evacuetur.

Leniter movendus est indies funiculus, uti dictum, unâ
solummodò vice, si benè fluxus habeat, sin callosa evadat cu-
tis, bis.

Non verò probamus illorum morem, qui singulis septima-
nis novum funiculum substituere consulunt. Unus enim idem-
que funiculus plerumque sufficit.

Setacei linum oleo Oli inunctum magis vellicare, autor est
Riolanus Enchirid, anatom, auctar. p. 354. Sed potiori ratione ab
eo

eo abstinemus. Eo enim ipse funiculus facillimè corroditur & rumpitur, dolor excitatur major, & suppuratio impeditur.

Nec hellebore radicem vulneri inserere, vel juxta *Paracelsus* unguento digestivo diagrydium, rhabarbarum, agaricum aliaque purgantia miscere vel opus, vel tutum semper est, nam, humoribus attractis, dum crescit dolor, vires nonnunquam collabescunt, quod ex propriâ & aliorum observatione annotat *Rhedius in analiect.* p. 621.

Notandum verò est, quod *Abuali* de cauterisatione præcipit, ne fortitudo cauterisationis ipsius ad nervos perveniat, neque ad chordas, neque ad ligamenta, l. i. fen. 4. doctr. 5. c. 29. id etiam in simplici sectione observandum esse. Nec profundè nimis, nec superficietenus nimis transfixio fiat; illo enim alias pacto musculi facile simul lædentur, vel ligamenta, convulsionebus, aliisque symptomatibus inlequentibus; hoc verò cutis faciliter rumpitur, nec humoris evacuatio desideratâ quantitate fieri potest.

Quæsiti de termino setacei, quamdiu gestandus funiculus, & ulcus apertum servandum sit, respondemus, variare illum secundum affectū seu primi indicantis rationem, qui si curatus sit, consolidari ulcus, exempto funiculo, potest. Sic, prout ère esse videatur, per sex, septem menses, & annum integrum interdum eò solemus impendere. Interdum sponte excidit funiculus, præsertim in infantibus & pueris, tenerori cute à frequenti attritu ruptâ,

In setone cervicis cavendum monet *Thom. Fienus* l. 4. de cauter. cap. 1. ab arteriâ carotide, venis jugularibus & nervo recurrente.

Minoris apparatus operatio facilior quidem est, & in aliis locis extra cervicem magis locum habet, priori tamen non anteferenda.

Hanc describunt *Hornius microtechna* p. 177. & *Barbette* c. 21. *Chirurgia* p. 78. Vid. quoque sæpe laudatus *Fienus* l. c. l. 3. c. 14. Non differt ab alterâ priori quoad essentialia, sed quoad instrumenta & parandi modum. Omissò enim perforatò forcipe procutis interceptione, & per eam acûs vel ignitæ vel frigidæ traductione,

&ione, primū locus ad inventus signatur, hinc cutis unā manu ministri, alterā chirurgi magistri elevatur, & vel acu acumina- tā non candefactā, posticā regione pro excipiendo filo perforatā, vel lanceolæ solūm robustioris cuspide pertunditur, & è vestigio ligula traducitur, quæ dehinc digestivo unguento imbuenda, & uti in altero jam diximus processu, quotidiè commo- venda, & commovendo permutanda est.

C A P U T VII.

An cum igne, an sine eo applican- dum setaceum, disquirit.

Antiqui cauterium ultimum dicebant instrumentum medici- næ, non fine, sed ordine, reliquis omnibus incassum tentatis præsidiorum generibus, ceu colophon adhiben- dum.

Applicata hinc sunt primitus setacea cum igne, ut ferri & ignis conjunctorum opem tantò præsentius experiretur æger. Nec veterum solūm, *Rhazis*, *Albusasis*, *Eginetæ*, sed & recentiorum, *Guidonis*, *Lanfranci*, *Gavasseti*, *Paræi*, *Sculpteti*, *Solenandri*, aliorumque plurimorum autoritas idem confirmat.

Rationibus evincunt idem, ignis patrocinium qui suscipiunt. I. Actio ignis est simplicissima: ή τὸ πυρὸς φύσις ἴδια τάτας ἔχει δυνάμεις τῶν ἀπλῶν, ignis natura, autore Eresio l. de igne, omnium simplicium singularibus maximeq; peculiaribus potestatibus prædita est; adeoque partem unā roborat. Actio ipsius est momentanea, dictum factum officium suum explet, nec ulterius partem lædit.

II. Ignis sanguinis fluxum, unā operā, sistit. Est quasi caput Gorgonis, quo ostensio sanguis in torulis suis consistit, nec effluere audet.

III. Quò præsentior revulsio fieri potest, eò melior. Ignis ob dolorem majorem ἔλξιν etiam majorem procurat, & ita morbum citius juvat.

Sed pro negativâ longè majora militant argumenta. Autoritas eam munit virorum in chirurgiâ celeberrimorum,

Guilielmi Fabritii Hildeni, Gregorii Horstii, Marci Aurelii Severini,
& aliorum recentiorum, qui sectione rectius, quam unctione con-
ficiendum administrandumque remedium hoc statuunt, idque
ob prægnantes rationes.

1. Ægri facilius sectionem quam unctionem, vel utrumque
simul admittunt. Cui usui est remedium, quod æger omnibus
viribus renuit? Ipse animus contentus majorem conciliat ju-
vandi & applicandi fiduciam.

2. Idem obtinetur finis. Ex duobus itaque malis seu
molestis, minus est eligendum, ferrum præ igne.

3. Ignis desiccat, adeoque tantum abest, ut fluxum tam
benè procuret, ut potius eundem impedit; roborat, hinc non
tam benè partem ad recipiendum disponit, cum potius sit de-
bilitanda.

4. Dolor metusque minor est, & sanguinis fluxus neuti-
quam timendus, quod, qui diæresin hanc cruentam viderunt,
experiendi oculari testari possunt.

5. Quod palmarium est, à Severino adnotatum, pertusa
ferro candente cutis paucō post tempore sic extenuari solet, ut
abrumptatur, id quod ex perpungente scalpro minimè futurum
est, cum caro sic non liquet neque exteratur.

Quod si tamen affectus magnitudo requirere videatur, ut
extremo morbo extremum exquisitè conveniat remedium, nec
sufficere posse solum ferrum & sectionem prudens arbitretur me-
dicus, habitu præsertim ægri non dissentiente, interdum & cau-
terium locum habere potest.

C A P U T I I X .

Symptomata setaceo supervenien- tia ut sint corrigenda, indicat.

Si dicto superius modo tractetur setaceum, rarius sympto-
mata ingruunt, ad ulcus nempe probè redacto per digestiva
vulnere, & parte defensâ.

Ne labia foraminum utrūque coalescant, chordam indies-
leniter trahendam esse innuimus. Accidit verò interdum, ut,
coalitum

coalitum attentante naturâ, ipsa tractio fiat cum magno crucia-
tu, hæmorrhagiâ, & inolestiâ, neque funiculus amplius promptè
sequatur. Tunc, si apertum eundem locum servare consultius
judicet medicus, pulverem corrosivum ex One usto, ~~Y~~-to &c.
aspergere necesse est, quale exemplum videre licet apud *Platerum*
l. i. observ. p. 106. Sin minus, claudi idem bono consilio poterit,
vel fonticulus in brachio excitari, setacei claudendi vicarius,
vel pro re natâ reliquum naturæ committendum est.

Excogitavit hanc in rem instrumenta percommoda tum ex
argento, tûm ex ligno hederaceo, *Hildanus*, qui consuli potest.

Si fluere renuat, ob angustata ulceris orificia, præter jam
dicta, radix gentianæ in usum vocari potest.

Si putrilago adsit, & sordidum ulcus evadat, *unguentum*
fuscum Würzii, vel *Egyptiacum* mediante funiculo ulceri ap-
plicetur.

Si dolor sit major & urgeat, *emplastrum de byoscyamo* lauda-
tissimum prodest. Sin inflammatio timenda, ob humorum a-
crium affluxum, *idem* & *Saturnina* locum habent, & strenue se
gerunt.

Alia si superveniant accidentia, ut caro excrescens & lu-
xurians, fœtor &c. ex propriis fontibus petenda accommoda re-
media.

Si consolidare ulcus sit animus, exempto funiculo *empla-
strum Phænicinum*, *barbarum*, *diapalma* (quod & gestationis tem-
pore convenit,) *de minio* &c. profunt, adhibito quoque, si opus
sit, *unguento sarcotico Fieni*.

C A P U T IX.

Usum setacei in affectibus capitis subjungit.

Usus setacei generalis est, divertere, trahere, intercipere &
evacuare humores vitiosos à capite & vicinis partibus, o-
culis, auribus, naso, palato &c.

Ut hostis, diversione per arma contraria alibi factâ, eò diri-
gere copias suas cogitur, & consequenter obsessum locum

relinquere; ita in corpore humano à parte affectâ morbosâ vis inimica vitiosorum humorum aliò derivatur, ut pars ipsa roborata novas acquirat vires, insultus morbificos depellendi.

Trahunt setacea & derivant aliorum materiam peccantem, eandemque unâ eliminant. Tractio non intelligitur quasi magnetica, vel directa, immediata, sed ἔλξις talis, quæ, dolore id procurante, advocat humores, & naturæ monstrat viam, ubi se levare ab inutili pondere possit. Nec obstat autoritas Fernelii, qui *consilio 9. fol. 18.* Setones, *inquit*, in occipite, non eam, quam dixi, trahendi vim obtinent, neque ab iis id præstari experior, quod ab aliis præsidiis, ac sæpe ægrotos sine fructu miserrime torquent, id quod repetit *conf. 11. fol. 21.* occipitis, *inquiens*, atque cervicis appellatos setones non probavi, quandoquidem nullo illos usu vel commodo, sed gravi sæpe periculo infixos animadvertis.

IN D O L O R E C A P I T I S, cum dolor est valde rebellis, & quando tanta est partium imbecillitas, ut materia necessariò multiplicetur, setaceum laudat *Eustach. Rhudius l. 1. de corp. hum. affect. cap. 1. p. 9.* præprimis in hemicrania, & si dolor anteriori capitinis parte magis affligat, argumento *5. aph. 68.* ubi *Cous* scribit: *dolenti parte capitinis posteriore, in fronte recta vena incisa prodest.* Non minus ergò in occipite aversio instituta prodest, si in anterioribus dolor resideat, teste *Galen. l. 13. Meth. Med. cap. 19. &c l. 2. de compos. sec. loc. c. 2.* Si verò queratur, an in posticâ parte dolore existente etiam convenientia setacea, affirmandum illud statuimus, sed tunc non tam revulsio fit, quam derivatio.

Caput dolenti aut circumdolenti sanies aut aqua effluens per os aut nares solvit ægritudinem, teste *Hippocrate, 6. aph. 10.* unde *Horstius l. 2. obs. 14. p. 73.* vix præsentius aliquod *αἰώδυνον* in capitinis diuturnis doloribus ob fluxiones ab hypochondriis communicatas & diuturnitate temporis in capite radicatas hoc ipso setaceo dari posse statuit.

Extendit hunc usum ad capitinis etiam mala à lue qæ orta *Fonsecæ Tom. 2. conf. 63.* licet ibidem de cauteriis solum ipsi sermo sit.

In APOPLEXIA præcavendâ & curandâ convenire setaceum latè probat *Horstius loco citato.*

34

In **EPILEPSIA** prodest setaceum. Sic *Guilielm. Fabritius*
eent. 1. obs. chirurg. 41. refert, se juvenem quotidiè epilepsiam la-
borantem, & cent. 4. obs. 81. puellam 18. annorum ab ipsâ infan-
tiâ epilepticam solo setaceo restituisse. Cauterisationem in occi-
pice ex *Celso* confirmat *Pernumia* l. 6 p. 96. Exemplum etiam ha-
bet *Pareus* l. 9. c. 24. p. 436.

Notandum tamen hoc loco est præceptum *Rondeletii* l. 1.
meth. curand. morb. c. 36. in epilepsiam, quæ fit per consensum ali-
cujus partis externæ, nunquam adhiberi debere setones, nisi
morbis ob antiquitatem jam factus sit essentialis.

In **HYDROCEPHALO**, catarrhisque gravioribus sum-
mo cum successu fonticulus excitari potest in nuchâ, eò quod si-
nus duræ meningis eo circiter loco venæ jugulari jungantur; in
pueris maximè, in quibus insigniter sæpius futuræ dehiscunt, ut
autor est *Barbette chirurg.* l. 2. c. 1. p. 332.

In **MANIACIS & VERTIGINE** setacea locum inveniunt.
Ita meminit medici cuiusdam *Guido* tr. 7. doctr. 1. cap. 3. f. 119. qui
per setaceum diu apertum servatum curavit maniacos, scotomi-
cos & vertiginosos.

Solent alias in his affectibus capitis commendari cauteria
in commissurâ futura coronalis cum sagittali, sed attendi meren-
tur, quæ contra ea scribit *Andr. Laurent. Hist. Anat.* l. 2. c. 10. p. 126.
Præstat eligere nucham, & ibi applicatum setaceum.

In **SURDITATE** cum loquelæ defectu cauterium in nuchâ
& setacea commendat *Platerus* l. 1. obs. p. 117. eâ intentione, ut
diversio à capite fiat, & causa à nervis occupatis recedat.

In **LÆSIONE AUDITUS** *Capivacc.* l. 1. pmct. med. c. 49.

CAPUT X.

Utilitates setacei in affectibus oculorum & aliis recenset.

Quod *Pergamenus* in genere de revulsoriis præfidiis ait, illa
κωλύειν, τὰς σφοδρεγτάτας Ἐπίρροας τὴν χυμῶν αἴθρεως
κατά-

gatim & nigris, vehementissimas influxiones humorum, ne acer-
vatim irruant, impedire, l. de birud. revuls. &c. id etiam locum in-
venit in setaceis, in specie in affectibus oculorum. Potenter enim
& diu revellunt.

Hinc in affectibus oculorum gravioribus optimè se gerit se-
taceum. Seton enim seu funis hic, per cervicis pellem traductus
utrinque, est ophthalmiae, lippitudini, imò ipsis catarrhaetis, &
vitiæ digestionis oculorum remedium, ut verba *Helmontii* in
contrarium, id est, bonum vertamus sensum, *libro cauterium in-
scripto* §. 22. Neque enim illos forte fortunâ & ex accidenti ju-
vamen inde sensisse credendum est, qui ab adhibitis generosis
aliis, è pharmaceutico fonte petitis, remediis non adjuti, ex chi-
rurgico per setaceum salutarem effectum experti sunt.

In OPHTHALMIA & aliis ad oculum fluxionibus, dum
oculi observantur prompti ad suscipiendum, nil præstantius se-
taceo pronunciat, in parte capitis posteriori applicito, *Eustach.*
Rhud. l. 1. de corp. hum. aff. c. 20. p. 62. Ipse Galenus in ophthalmia,
si vehemens fuerit capitis gravitas, occipitio cucurbitulam adfi-
gere jubet, concisâ prius cute scalpello, exuctumque ab illâ san-
guinem frequenter effundere, l. de remed. facile parabil. c. 28. quâ
ratione diuturnas oculorum fluxiones saepius sanatas esse con-
firmat s. apborism. comment. 68. Longè eminentius ergò opem fe-
rent setacea, quia diutius, magisque evacuant. Confer l. 13.
Meth. Med. c. 18. ubi cucurbitulam in occipite defixam efficax
remedium vocat ad oculorum fluxiones, evacuato prius toto.

De usu setacei in ophthalmia plura vide apud *Horst. cent.*
3. problem. decad. 3. qu. 1. p. 36. seqq. Exempla quoque habet *Amat.*
Lusit. cent. 4. cunct. 68. p. 280. *Hildan.* cent. 1. obs. 41. Et nos aliquo-
ties in praxi nostrâ feliciter id in ophthalmia saepius redeunte
experti sumus.

In SUFFUSIONE plurimi autores commendant setacea.
Ita *Victor Trincavella* l. 3. de rat. curand. partic. affect. c. 13. p. 88.
cum vesicatorium dixisset plurimis ejusmodi ægris profuisse se
expertum, efficacius adhuc remedium, utut molestius, pronun-
ciat setaceum. Consentit *Capivacc.* l. 1. pmx. c. 37. hâc tamen
cum

tum cautelâ, ut non tam in suffusione perfectâ, quam in prin-
cipio & in fieri constitutâ, aliisque prius tentatis & usurpatis au-
xiliorum generibus, in usum trahatur. Gemina his est commenda-
tio Pernumia l. 4. de curat. arte p. 52. & Mercurialis l. 1. consil. med.
87. qui nullum magis præsentaneum in his affectibus reperiri
scribit, quam setamen.

In GUTTA SERENA setaceum dilaudat *Zacutus Lusitanus* prax. admirand. l. 1. obs. 56. p. 13. Confirmat experientiâ suâ *Sculptetus armament. chirurg. observ.* 34. p. 91. ubi setaceum ad hu-
jusmodi nervorum obstrukções præstantissimum se invenisse
adserit.

STRABISMUS ob nimiam humiditatem vel lentorum
humorum copiam ortus, à setaceo curationem expectat. Hoc
modo juvenis apud *Zacutum Lusitanum* prax. admir. l. 1. obs 67. p.
15. cum diu celebratis aliis remediis convalescere non posset,
tandem laqueo usus est ad nucham indito, ex quo cum sanies
fœtida longo tempore emanaret, sanitatem omnimodam inde
obtinuit.

In VISU IMBECILLI *Pernumia* l. c. & COECITATE IM-
MINENTE *Pareus* l. 9. c. 24. p. 436. *Pascal. tr. meth. cap. de opb-*
tbalm. commendant setaceum. Quin in omnibus oculorum
affectibus diuturnis, ad evacuandum & divertendum fluxus
inveteratos & oculorum & totius corporis setacea proficia scri-
bit *Guido* l. c.

In POLYPO & ULCERE CACOETHÉ NARIUM setaceum
auxilio est. Lanio, cum polypo laboraret, lege artis curatus,
affluxum humorum novum sentiens, & veterem hospitem anti-
quum quærere domicilium, tum ab aliis universalibus & to-
picis, tum præcipue, cum reliqua non sufficerent, à setaceo,
nostro suasu, sensit auxilium, per quadriennium jam salvo me-
atu narium, & respiratione liberrimâ.

AFFECTUS PULMONUM à destillatione catarrhali orti
à setaceo opem præstolantur. In CATARRHIS & destillatione
ad pectus, semiphthisicis, qui & sanguinem & pus expuerunt,
id expertus est *Hildanus* cent. 1. obs. 41. & cent. 3. obs. 38. Alii in
his

his ceu divinum auxilium extollunt eadem. Setacea enim, cervici applicata, materiam si non penitus revellant, intercipiunt tamen, in actu περφυλάξεως maximè, fatendum quippe est, hoc præsidii genus urgente necessitate, præprimis si catar-rhus suffocativus ingruat, parum opis adferre, sed ut fluxio-nem sistat, & intercipiat, morâ quâdam egere, donec pars de-bilitata recipiat humores. Non tamen in actu θεραπείας ca-tarrorum omnino repudianda, si urgeat diuturnitate & gra-vitate malum. Vid. Rofinc. *Dissert. 12. de aff. cap. p. 29.*

In PHthisi Fonseca Tom. 1. consult. 5. In ORTHOPNOEA
Zacutus Lusit. loc. cit. l. 3. obs. 131.

In Tussi quoque nonnulli non incommodè adprobant setaceum, in scroto excitatum, ob consensum maximum testium & thoracis, ab Hippocrate confirmatum l. 2. epid. sect. 1. & sect. 2.

In FURORE UTERINO commendat setaceum Horst. l. 2.
obs. 28. p. 96. ubi remedium vocat omni ex parte tutissimum & in gravissimis capitibus presentissimum.

In CUTANEIS AFFECTIBUS, ut vitiligine, impetigi-ne, aliisque cutis, præsertim faciei, fœditatibus mirè laudant se-taceum, & in eo majorem spem ponunt, quam fonticulis, Merca-tus l. 1. de rect. præsid. usu c. 16. p. 182. & 187. & Thom. Fientus l. 1.
de caut. c. 19. In tinea consulit idem Frugosus apud M. A. Seve-rinum l. c.

Plura qui desiderat, ea largè inveniet congesta apud ci-tatos, Severinum, Glandorpium & alios.
Nos hâc vice hîc claudimus.

F I N I S.